

VI. Potestas mittendi quocumque legatos nexa est essentialiter cum potestate *immediata suprema* regendi omnes fideles et pastores. Potestatem enim Romanus Pontifex habet immediatam in omnibus fideles quoad omnia: porro ipse potestatem suam potest delegare aliis, qui ipsum repraesentent, suaque vice immediatam potestatem exerceant, longinquis provinciis praesentiam quodammodo Romani Pontificis impendentes (Leo ep. 14<sup>a</sup>, c. 1<sup>o</sup> ad Anastasium Thessalon.). Id enim insitum est iuri potestatis cuiusque ordinariae ut possit delegari. Nec ulla fit iniuria Episcopis; potestas enim Romani Pontificis immediata et ipsa est et Episcopali maior, ac necessaria magis; quae potestatem Episcopalem non destruit, sed sibi subordinat. Sicut ergo componitur potestas Episcopi cum potestate Romani Pontificis, ita illa componitur quoque cum potestate legati Pontificis, quae est ipsa potestas Romani Pontificis alteri delegata actu se exercens per medium. Usus porro horum legatorum a necessitate sive utilitate eorumdem determinatur. Hinc seculo XI adeo frequens fuit; cum enim a tot Episcopis et Metropolitanis simoniae vel incontinentiae labe pollutis exspectanda non esset reformatio Cleri et populi, opus fuit ut Romanus Pontifex suos mitteret legatos, quibus res strenue agenda committi posset. Sed et prioribus Ecclesiae seculis viguit huiusmodi usus. Sane Concilio Arelatensi non oecumenico praefuit Silvester per suos legatos (Cf. Baronium an. 314 n. 51). Item Osius in Oriente pluribus Conciliis provincialibus tanquam legatus Romanae Sedis praefuit; nec enim alio iure praeesse potuit. « In qua enim Synodo (ait de eo Athanasius in apologia de fuga sua) ille non dux et antesignanus fuit..... quae Ecclesia illius praesidentiae non pulcherrima monumenta retinet? » (Cf. Baronium an. 319, n. 22, 25 seq.). Liberius quoque legatos Vincentium et Marcellum misit ad Constantium, qui cogere Aquileiae concilium (ibid. an. 353 n. 16). Hinc iam a 5<sup>o</sup> seculo ineunte ut vetus Ecclesiae disciplina habebatur institutio Vicariatus Apostolicae Sedis concessi quibusdam Episcopis, ut Thessalonicensi iam ante seculum 5<sup>o</sup>, deinde aliis ut Tarracoenensi, Arelatensi etc. quo servatis privilegiis Metropolitanorum, vices Apostolicae Sedis cum iurisdictione alicui delegabantur, ut sive ea quae ad Canones pertinent, sive ea quae ab Sede Apostolica erant mandata servarentur. In his autem instituendis vicariatus Romanus Pontifex non se gerebat ut Patriarcha Occidentis, sed ut successor Petri, et totius Ecclesiae Episcopus, ut patet ex epistolis Innocentii I Bonifacii I Sixti III ac Leonis M. ad Episcopos Thessalonicenses, vel ad omnes Episcopos Illyrici datis. Cf. Ludovicum Thomassini Vetus et nova disciplina etc. P. I, L. I, cc. 30, 51 et Responsum SS. D. N. Pii VI ad Metropolitanos.... super nunciaturis apostolicis

c. 8, sect. 3. Et ne longiores simus, potestas haec mittendi legatos asserta est Romano Pontifici a Patribus Sardicensibus in iis canonibus, quos iam explicavimus: ergo.

### THESIS XVIII.

*Forma proinde regiminis Ecclesiae iure divino est monarchica.*

I. Forma regiminis socialis triplex olim distingui solebat, *monarchica, aristocratica, democratica*: additur nunc et ea quae *constitutionalis* seu *repraesentativa* audit, quae est quoddam temperamentum monarchiae et democratiae. In hac enim suprema auctoritas legislativa est praecipue saltem penes delegatos a populo, potestas autem *executiva* legum penes Regem eiusque ministros. Quaeritur qualis sit forma regiminis a Christo instituti in Ecclesia.

Itaque ut doctrinam catholicam tueamur, praemittimus 1) notionem formae regiminis Ecclesiastici non a priori fingendam, non ex analogia aliarum societatum derivandam, sed ex Christi positiva et libera institutione desumendam esse. 2) Putandum non esse Christum potestate eaque suprema instruxisse subiectum illud, quod ex ipsius Christi institutione nunquam valeat vel ullum actum potestatis eiusdem exercere; potestas enim datur propter actum: et ad nullum actum sive ad nihil nulla est potestas. 3) Cum de forma ecclesiastici regiminis quaestio fit, sermonem esse de ea forma cuius subiecta visibilia sunt, parsque illius societatis quae eo regimine gubernatur. Neque enim ex eo quod quaevis societas Deo monarchae subest, forma regiminis cuiusque societatis est monarchica. Sed in ipsa societate visibile visibilis forma regiminis esse debet.

Iam vero ex illis tribus recensitis formis nequit una simul cum alia esse *formaliter* in eadem societate: quamvis *virtualiter* una cum alia attemperari possit; verum ab ea forma regimen sive politia societatis denominatur, quae formaliter inest. Porro regimen democraticum dupliciter concipi potest in societate: 1) *radicaliter*, quatenus (secundum quorundam sententiam) suprema potestas sit radicaliter seu secundum originem in ipsa societate: 2) *Formaliter*, quatenus actu exercetur ab ipsa societate. Ad hoc alterum vero necesse est ut suprema potestas sit actu penes universam societatem quae leges sanciat, quae magistratus omnes instituat, quos iudicare et punire pro culpa possit. Est autem forma aristocratica, cum potestas regendi est penes optimates, atque ita ut optimates ex aequo participes sint iurisdictionis, ita ut quamvis inter illos honoris gradu aliquis praecellere possit, nemo tamen sit, qui prae ceteris iurisdictionis

ctione polleat, aliosque subditos sibi habeat. Est tandem forma monarchica, si *a*) unus universae reipublicae praesit, et ipse *b*) potestatis plenitudine gaudeat, *c*) magistratus reliquos obnoxios habeat, *d*) iudicare ipse omnes possit, et a nemine iudicari, *e*) ipsi tanquam principio totius unitatis socialis omnes qui in societate esse velint bonisque societatis frui, adhaerere et subesse teneantur. Si haec adsint, forma regiminis nequit esse nisi monarchica: licet non omnia ad eam necessaria sint. Quare non est opus ut qui praeest praefecturas omnes seu magistratus in societate suo arbitrio statuere et abolere possit, vel ut neque ab universa societate (loquimur generatim de monarchia) certis in adiunctis iudicari possit: si enim aliquis sit ordo magistratum, quem neque ipse constituerit, neque abolere possit, dummodo priora illa quinque maneant, habebitur quidem temperamentum quoddam ex aristocratia adhibitum monarchiae, at regimen erit nihilominus formaliter monarchicum.

II. Atqui forma regiminis a Christo in Ecclesia constituti non est actu democratica. Id iam demonstravimus in Proleg. §. X. Neque est *radicaliter* democratica, quemadmodum docuit Abulensis Episcopus Tostatus, qui quaestione 48 in c. XV Numer. docet quod multitudo non habet iurisdictionem, quia haec secundum actum nequit cadere in communitatem, sed in personam determinatam; exigit enim actus, ut iudicare, imperare, qui determinatam personam requirunt. Contendit tamen quod *iurisdictio secundum originem, et secundum virtutem est in communitate*; quia omnes personae accipientes iurisdictionem, ex virtute communitatis accipiunt. Haec intellecta de societate naturali permitti possunt. At transferens sermonem ad potestatem clavium q. seq. docet pariter quod *Ecclesia claves habet secundum originem et virtutem, praelati autem habent secundum usum earum; Ecclesia autem non habet eas quantum ad usum*. « Omnia autem, ait, ista descendunt ex hoc quod Ecclesia non est aliquid unum per se, potens habere administrationem clavium, ideo illas alteri commendat; si autem posset per se administrare, non committeret alicui praelato. » Quanta in his philosophia! Quomodo enim probas quod Ecclesia secundum originem habet potestatem clavium? verba Christi, ipsaque natura potestatis id tantum persuadent, potestatem nempe datam esse *in bonum et utilitatem Ecclesiae*; quod est prorsus aliud (Proleg. §. XII.). An id supponis ex essentia cuiusque societatis? Verum pronum est haec advertere, 1) quod quamvis verum esset quod in societate politica naturali potestas suprema sit radicaliter et originarie in ipsa societate, perperam tamen supponitur idem valere in Ecclesia, quae est societas supernaturalis, divinae positivae liberae institutionis;

nullum enim a natura ius habent homines ad bona supernaturalia, ideoque ad supernaturalem potestatem, cuiusmodi est ecclesiastica, et ad ea, quae ex illa profluunt beneficia. 2) Ut homines adunati recte et legitime regantur, non est per se opus ut potestas regentium sit radicaliter in societate: potest enim ea a Deo, a quo tandem est omnis potestas, communicari immediate moderatoribus societatis. Quare nisi *positivis argumentis* probetur Deum universae Ecclesiae primario contulisse potestatem supremam, nunquam aliquid efficietur. Positiva autem argumenta non solum desunt pro hac theoria adstruenda, sed prostant evidentia pro contraria sententia. Ceterum huiusmodi radicalis potestas suprema in societate, quae per se componi potest cum quavis actuali forma regiminis, irrationabiliter supponitur, cum ipsa nunquam potest venire ad actum, cum nempe nunquam fieri potest ut universa societas democratice representata aut mutet formam actualem regiminis, aut leges condant, aut magistratus constituant. Atqui certum est nunquam id fieri posse in Ecclesia: nunquam enim poterit (supposita successione in Primatu, quam et adversarii supponunt) aboleri ab Ecclesia potestas Petri, nunquam lex aliqua valebit, vel aliquis in Ecclesia iurisdictionem habeat nolente Petro. Ergo.

III. Neque forma regiminis a Christo in Ecclesia constituti est aristocratica, secundam quam nempe supremae potestatis subiectum est coetus quidam τῶν ἀριστῶν constans ex paribus quoad auctoritatem. Nam, ut demonstravimus, non est par potestas concessa omnibus Apostolis, ratione etiam habita potestatis extraordinariae: sed unus Petrus ceteris Apostolis est praelatus, qui primatum iurisdictionis in ipsos quoque haberet. Nec aliquid pro regimine aristocratico colligitur ex verbis Christi ad omnes Apostolos Matth. XVIII, 18; quorum sensum iam in prima thesi explicavimus. Inutilis porro est quorundam animadversio, quod nempe quamvis Petro prius dixerit Christus *Tu es Petrus* etc. haec tamen promissio fuit; Apostolis autem collata potestas est hoc loco prius quam Petro Ioan. XXI. Nam et verba Christi ad Apostolos Matth. XVIII promissoria sunt, sicut eiusdem ad Petrum XVI. *Quaecumque solveritis erunt soluta* etc. *Quodcumque solveris erit solutum* etc. Ex eo vero quod postquam omnes Apostolos miserit Christus Ioan. XX, Petrum pastorem universalem constituit, merito inferitur nova et speciali dignitate et auctoritate prae Apostolis Petrum honestari.

Arguunt quoque ex eo quod Matth. XVIII, 12 supremum tribunal a Christo constitutum sit Ecclesia, h. e. coetus pastorum; *Dic Ecclesiae*. Ecclesia enim est aliquis coetus, qui non potest esse heic nisi coetus Episcoporum. Si autem hi supremum tribunal constituunt, regimen Ecclesiae est aristocraticum.

Verum est quod in hac obiectione dicitur vel supponitur, quod nempe Ecclesia eo in loco non sit fidelium simplicium coetus: est enim ibi manifestus progressus a privata plus minus correptione ad correptionem publicam, quae nempe publica auctoritate fiat, quod tunc fit cum ad publicum Ecclesiae tribunal, sive ad eos qui in Ecclesia publicam potestatem habent, reus defertur. Dicitur ergo Ecclesiae, cum auctoritati publicae Ecclesiae dicitur. Cum ergo publica potestas Ecclesiae non sit penes populum, *dicere Ecclesiae* ibi non est dicere omnibus fidelibus adunatis, sed dicere ii vel iis, qui in Ecclesia praesunt. Unde Ecclesiae nomen heic fit potestati publicae eius. Ergo ne Ecclesia est coetus Episcoporum? Respondeo Ecclesiam heic non esse definite coetum Episcoporum, sed, ut diximus, potestatem publicam in Ecclesia, quae potestas, quemadmodum in aliis societatibus, potest ipsius societatis nomine designari. Haec vero potestas vel ab uno Episcopo, vel a pluribus aut omnibus simul cum suo capite, vel a solo capite, quamvis non ab his omnibus cum eadem perfectione, exerceri potest; nihil tamen de his determinatur heic a Christo, sed ipse indefinite loquitur. Nomen ergo *Ecclesiae* designat Christus potestatem publicam in Ecclesia; utrum autem competat vel uni seorsim, an pluribus simul, an inter hos sit aliquis cui potissimum competat, aliis vero sub ipso, heic Christus non definit: quare hic locus opportunus non est ad formam regiminis Ecclesiae determinandam. Divinat porro Gerson l. c. cum dicit verba Christi: *si peccaverit in te frater tuus... dic Ecclesiae*, dicta esse Petro nominatim, ut exinde concludat Petrum nomine Ecclesiae non venire; neque enim posset dicere sibi. Sed locutio Christi est indefinita omnesque alloquitur, instruitque Christus in discipulis fideles omnes quomodo correptio facienda sit.

Arguunt etiam ex Act. XVI, 6 22 seq.; Synodus enim ab Apostolis et senioribus (*πρεσβυτεροις*) simul habita est; eiusque decretum Apostolis et senioribus simul tribuitur. At satis constat monarchiae non repugnare quod negotium aliquod in communi procerum conventu et consilio statuatur, totiusque conventus nomine a Principe licet dispari ratione decretum edatur. Quare ex agendi ratione huius synodi nihil pro forma aristocratica colligi potest. Et sane quis ambigat Apostolos praecelluisse senioribus? hi tamen simul cum iis decernere exhibentur; poterat ergo et Petrus omnibus praecellere (cuius rei indicium est ipsum primum dixisse sententiam, et quaestionem solvisse) et tamen una cum Apostolis et senioribus rem communem tractare, decretumque edere omnium nomine inscriptum.

IV. Forma regiminis ecclesiastici a Christo instituta est monar-

chica. Constat enim ex dictis, unam esse personam cui suprema potestas competat in Ecclesia, Petrum nempe eiusque successores; ipsumque unum obtinere plenitudinem potestatis ac praeesse omnibus immediate, praeesse omnibus sive singillatim sive collective sumptis: atqui haec est forma regiminis simpliciter monarchica: ergo.

Neque huic regimini monarchico obest illud temperamentum ex aristocratia petum situmque in institutione Episcoporum: non enim ii sunt pares quoad iurisdictionem Pontifici, nec simul sumpti ei praestant, nec eorum iurdictio impedit plenitudinem potestatis Pontificis. Remanet ergo regimen simpliciter monarchicum cum quodam temperamento aristocratiae ut non sit in potestate Pontificis hanc potestatem ordinariam Episcoporum abolere.

Dices rectam regiminis formam in societate humana postulare ut omnis auctoritas non sit penes unum aut eosdem: sed alii habeant potestatem legislativam, alii iudicalem, alii executivam. Respondeo si de suprema potestate sermo est, id non esse ex ipsis rerum naturis, imo supremam auctoritatem per se esse unam, omnesque functiones regiminis veluti in fonte continere. Utrum vero conveniat uni quoque personae illam supremam plenamque auctoritatem inesse, id ex adiunctis diiudicandum est; cum licet societati determinare sibi formam sui regiminis. At cum de divina institutione agitur, si constat Deum supremam auctoritatem uni contulisse, nulla amplius restat quaestio. Ceterum nullum Ecclesiae damnum sequi ex hac Christi institutione iam in superioribus satis declaravimus.

Quid ergo voluit dicere Cyprianus De Unit. Eccl. inquit: « Episcopatus unus est, cuius a singulis in solidum pars tenetur »? Noluit profecto negare quod immediate superius in eodem contextu sermonis disertissime affirmavit, Christum constituisse unam cathedram ut unitatem manifestaret, et *unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuisse*, atque *Primum Petro datum esse* ut una Christi Ecclesia et cathedra una monstretur, et *super cathedram Petri fundatam esse Ecclesiam*.

Itaque Cyprianus heic affirmat Episcopatum unum esse sicut affirmat Ecclesiam esse unam: locutus enim de unitate Ecclesiae subdit: « quam unitatem firmiter tenere et vindicare debemus maxime Episcopi, qui in Ecclesia praesidemus, ut Episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum probemus... Episcopatus unus est, cuius a singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia quoque una est, quae in multitudinem latius incremento foecunditatis extenditur ». Idem habet epist. L. II. de Cornelio et Novatiano: « cum sit a Christo una Ecclesia per totum mundum in multa membra divisa, item Episcopatus unus, Episcoporum multorum concordi numerositate diffu-

sus etc. ». Itaque sicut una est Ecclesia, ita unus est Episcopatus, h. e. una auctoritas quae Ecclesiam regit: quamvis enim plures sint huius auctoritatis participes, quia tamen hi una conveniunt, unumque coetum constituunt, unus est reapse Episcopatus sicut una est Ecclesia ex multis membris coalescens. Uniuntur autem Episcopi propter cathedram Petri, quae est origo unitatis, et super quam fundata est Ecclesia; ergo unitas Episcopatus asserta a Cypriano non excludit, sed imo supponit Primatum Petri. Cur ergo dixit: « cuius a singulis in solidum pars tenetur? nempe cuius singuli participes sunt *in unitate*, seu *in unitatem coeuntes*; non quod singuli sint pastores universales: cum idem ad Cornelium ep. LV dixerit « singulis pastoribus portionem gregis esse adscriptam, quam regat unusquisque et gubernet, rationem sui actus Domino redditurus ». Interpretationem hanc a nobis traditam de unitate Episcopatus ne dum phrasim patitur, sed totus contextus unam exigit; in quo de unitate eiusque necessitate disseritur. Porro quod omnes Episcopi participes sint Episcopalis auctoritatis res est evidens; non dicit autem Cyprianus quod omnes eodem modo participes sint; et certe ipse Cyprianus Episcopus Carthaginiensis quamdam specialem auctoritatem sibi vindicabat super Episcopos Africae: cum autem superius praedicaverit Primatum Petri, eumque originem esse dixerit unitatis, iam virtute affirmavit eam Episcopalem auctoritatem competere Petro, quae, quin excludat consortes in Episcopatu, sit tamen Primatui conveniens.

Perperam vero ad defendendam haeresim richerianam ad Augustinum provocatur. Ipse enim, aiunt, pluries id docet quod monuit in Psal. CVIII. « Sicut quaedam dicuntur quae ad Apostolum Petrum proprie pertinere videntur, nec tamen illustrem habent intellectum, nisi cum referuntur ad Ecclesiam, cuius ille agnoscitur in figura gestasse personam propter primatum quem in discipulos habuit: sicut est: tibi dabo claves regni caelorum, et si qua sunt eiusmodi ». Et in Lib. de Agone Christiano c. 30. « Non enim sine causa inter omnes Apostolos huius Ecclesiae catholicae personam sustinet Petrus. Huic enim claves regni caelorum datae sunt, cum Petro datae sunt; et cum ei dicitur, ad omnes dicitur: Amas me: pasce oves meas ». At contra: 1) repraesentatio Ecclesiae, quam gerit Petrus, est repraesentatio iuridica propria Regis, seu capitis societatis: repraesentat enim *propter primatum quem in discipulos habuit*. 2) Ecclesiae datas esse claves dupliciter intelligi potest: a) propter bonum Ecclesiae; hoc quidem verum est, sed, ut iam ab initio vidimus, id nihil iuvat richerianos: b) ita ut Ecclesia sit subiectum potestatis: hoc autem rursus dupliciter accipi potest; nempe a) ut immediate et prius Ecclesiae universae vel pastorum coetui datae sint claves,

et per Ecclesiam Petro: β) ut Petro datae sint claves ita ut semper deberent esse in Ecclesia, h. e. datae sint Petro non ut persona privata erat, aliquando moritura, sed ut erat persona iuridica in successoribus suis semper duratura; ideoque datae sint Petro claves ut eas semper Ecclesia in Petro et successoribus suis habeat, atque in aliis quibus communicantur a Petro. Porro secundus hic sensus, non prior, intentus est ab Augustino; qui a doctrina eiusdem de Primatu Petri alibi et heic quoque disertissime tradita flagitatur. Atque hic est *illustris intellectus*, quem habent verba Christi, quae non privilegium alicuius privatae personae, sed munus et potestatem publicam in bonum perenne Ecclesiae manifestant. Habet ergo Ecclesia claves, quia Petrus pars eius praecipua, sive caput, eas accepit adhibendas pro Ecclesia, et communicandas ceteris. Ratio vero cur Augustinus hanc declarationem frequenter urgeat, fuit haeresis Novatianorum, qui contendebant Petro ut privatae personae datas fuisse claves, easque cum eo desiisse; ideoque non esse amplius in Ecclesia potestatem clavium.

Ergo per potestatem Petro collatam Christus monarchici regiminis formam in Ecclesia constituit; et quidem ita, ut non tantum voluerit exercitium potestatis supremae esse penes unum (caput ministeriale), eadem potestate existente in universa Ecclesia; sed ut uni Petro ipse Christus immediate contulerit potestatem supremam, ceteris autem participationem eiusdem non nisi per Petrum, et dependenter a Petro.

Ergo divinam institutionem Ecclesiastici regiminis prorsus non intellexerant qui sec. XV aetate Concc. Constantiensis et Basileensis contendebant auctoritati Synodi generalis subiiciendum esse Rom. Pontificem, eademque generales Synodos certo quovis temporis spatio in perpetuum celebrandas esse. Id enim proprium est societatum, quarum plena potestas sit penes plures, vel prorsus omnes cives, vel optimates saltem.

#### THESIS XIX.

*Perperam contra hactenus statuta de iurisdictione Romani Pontificis argumenta petuntur vel ex dignitate Christi, vel ex defectu continuitatis Romanorum Episcoporum, vel ex reiecto a S. Gregorio M. titulo Episcopi oecumenici, vel ex hierarchica subordinatione, vel ex aliquorum Patrum quibusdam sententiis.*

I. Solvenda sunt quaedam argumenta adversariorum, quae urgentur contra doctrinam statutam in praecedentibus Thesibus. Aiunt enim: 1° Christus etiamnum caput est et principium efficiens unitatis Ecclesiae; non ergo opus est Romano Pontifice ad hunc effe-